

D. T. A.  
EXERCITATIONEM PHILOSOPHICAM  
D E

IDENTITATE  
INTELLECTUS ET VO-  
LUNTATIS INTER SE, ET  
CUM ANIMA

*Inclytâ Facultate Philosophicâ in almâ  
Lipsiensi permittente  
P.P.*

*Præses*

M. OTTO MENCKENIUS,  
Oldenburgo

&

*Respondens*

JOHANNES GEORGIUS SIMON,  
Halâ, Saxones

Ad diem 5, Martii, M. DC. LXIV.  
H. L. Q. C.

*a. LXXVII. 21.*

---

LIPSIÆ,

Typis JOHANNES WITTIGAU.

Coll. diss. A  
177, 21

*105. et 106.*

VIRŌ  
MAXIME REVERENDO, MA-  
GNIFICO, EXCELLENTISSIMO ATQVE  
AMPLISSIMO

DN. SEBASTIAN

Gottfried Starcken /

S.S. Theol. Doctori celeberrimo, Pastori ac Supe-  
rintendenti Freibergensium vigilantissimo, Domino  
Mecanati atq; Promotori suo quavis animi submis-  
sione aeternum suspiciendo

*In summae suae observantiae*



*Symbolum*

*hoc quaecumq; exercitum Academicum*

*dedicare debuit, voluit*

*Prases.*



## D. T. A.

**M**ultas in Scholis Nominales (inde ita dicti, quia, ut eleganter loquitur *Fulgentius, Schausheet in Praef. ad contr. inter Scot. Thom. & Arim.* rerum paucitatem cum pluralitate nominum componunt ac tuentur) turbas excitârunt illo suo: amplectenda est paucitas, ubi non occurrit plura ponendi necessitas. Quamvis enim natura ubique tam parca non sit, quam clamitant conceptuistæ isti, hoc ipso tamen in rerum distinctiones accuratius inquirendi ansam dederunt. Unde, num inter quantitatem & substantiam corpoream, inter relationem & ejus fundamentum, inter actionem & passionem, totum & partes, essentiam & existentiam &c. reale sit discrimen, curiosè satis inquireri videmus. Ita, ut de distinctione tam in actu signato, ut loquuntur, quam exercito, locum habeat, quod de præcisionibus objectivis jactat *Comptonus disp. Log. 24.* nulla celebrior hodie in scholis quæstio, nulla majore vel argumentorum, vel animorum contentione disputata, quasi, ut ille olim nodus Phrygiæ, ita hic Philosophiæ fatum foret. Placuit ex infinitis illis quæstionibus non ultimam eligere, quomodo scilicet, intellectus & voluntas tum inter se, tum ab animâ nostrâ differant. Quam non tantum utilitas, quam in Theologiâ contra Pontificios, fidem nostram ex eo, quod ex parte notitiæ & assensus in intellectu, ex parte fiduciæ autem in voluntate tanquam subjectis diversis habitet, monstrosam chymæram vocitantes, præbet; sed & summa jucunditas (quamvis eam *Sperling. l. 1. Anthrop. cap. 2. q. 1.* ut alias Scholasticorum subtilitates fastidiat) commendare videbatur. Sit igitur

Quod felix faustumque sit!

A 2

Que.

Quomodo intellectus & voluntas tum inter se, tum  
ab anima distinguantur?

§. I.

**Q**UOT capita, tot sententiæ; Aliter enim hic Thomistæ, aliter Scotistæ, aliter Nominales, aliter recentiores nonnulli sentiunt, *Thom. pr. 1. q. 77. art. 1 & q. 79. art. 1.* realiter intellectum & voluntatem tum inter se, tum ab animâ differre statuit; quem ibidem *Cajetanus*, nec non *Johannes à Sancto Thomâ pr. 3. Phys. q. 2. art. 2.* *Jacobus Fournenc cap. 11. de an. §. 1.* cæterique ejus discipuli sequuntur. Idem è *Societate Jesu*, aliisque liberius philosophantibus tenent *Ant. Ruvinus lib. 2. de an. tract. de pot. an. in gen. q. 1. Franc. Murcia in lib. 2. de an. disp. 2. q. 1. & lib. 3. de an. disp. 3. q. 4. Suarez. disp. Met. 18. sect. 3. Connimbræenses in lib. 2. de an. c. 3. q. 4. art. 2. & in lib. 3. c. 13. q. 3. Eustachius à S. Paulo pr. 3. Phys. tract. 1. q. 3. in secundo disp. tract. aliq. plures. Ex nostris *Scheiblerus lib. 2. Met. c. 8. tit. 6. art. 3. & pr. 2. de an. disp. 2. §. 25.* quamvis *pr. 3. de an. disp. 4. th. 7.* sibi non satis consistere videatur. *Sperlingius lib. 1. anthrop. c. 2. q. 1. & 2.**

§. 2. Realem inter animam ejusque potentias differentiam negat *Scotus in 2. dist. 16. q. un.* quem pariter ejus discipuli, inter hos *Poncius disp. 1. de an. q. 11. Claudius Frassen pr. 2. Phys. disp. 3. q. 3.* sequuntur. Negat item cum Nominalibus suis *Greg. Ariminensis 2. sent. dist. 16. q. 3. art. 2.* apud *Fulgentium Schauthet lib. 4. controuv. 6.* Ex aliis *Hurtadus de Mendoza disp. 4. de an. sect. 4. Rodericus de Arriaga disp. 3. de an. sect. 3. Fr. de Oviedo controuv. 3. de an. punct. 2. Compton Carleton disp. 12. de an. sect. 1. Franciscus Crespinus, sive, ut communiter vocatur, Bona Spei, disp. 3. de an. dub. 1.* quos sequitur *Adrianus Heereboord disp. sel. vol. 2. disp. 5 t. 5. & Colleg. Phys. disp. 15. th. 19.* Ex nostris *B. Stevogt. disp. theoret. 24. Clariss. Zeisoldus lib. de an. sect. 1. art. 4. punct. 1. Plur. Rever. L. Schertzerus, Præceptor meus summè venerandus in brev. Eustach. q. Phys. 236. f. 480. & nuperrimè Excell. Alberti, Præceptor meus colendus disp. de voluntate humanâ aphor. 2. §. 4. aliq.*

§. 3. Verùm & hi non omnino inter se conveniunt & in tres classes non incommode distribui possunt; ut I. sit Scotistarum, qui licet concedant, animam ejusque potentias non differre realiter, putant tamen differre formaliter, sive, ex naturâ

rei, quæ distinctio minor sit distinctione reali, & major distinctione rationis, adeoque inter illas media sit & ante mentis operationem in illis reperiatur. Ita expressè *Claudius Frassen l.c. II.* sit Nominalium, qui neque realiter neque ratione seu formaliter, sed solo nomine potentias ab animâ differre statuunt, ita ut ipsa anima in quantum diversæ operationis principium est, nomen diversæ potentiae induat, & in quantum est principium intelligendi, intellectus, in quantum est principium volendi voluntas vocetur; Si rectè de sententiâ illorum cum aliis judicat *Ruvius l.c. III.* sit *Fr. de Oviedo, Slevogris*, aliorumque recentiorum, qui ita potentias animæ tum inter se, tum cum animâ identificant, ut tamen formalitates propter fundamentum, quod in re erat, ratione distinctas inter hæc agnoscant.

§. 4. Tantus igitur hic occurrit Philosophorum dissensus, & omnes suis, plerique gravissimis argumentis nituntur. Nobis quid hic videatur, sequentes explicabunt conclusiones.

#### CONCLUSIO I.

Intellectus & voluntas ab animâ realiter non differunt.

§. 5. Est hæc contra Thomistas & reliquos th. i. citatos. Probatur: Entia præter necessitatem non sunt multiplicanda; sed hic nulla est necessitas animam à potentiis realiter distinguendi. Ergo. Major extra controversiam est. Minor patet, quia neque suadet ratio, neque jubet experientia, ut ex argumentorum solutione patescet. Est hoc argumentum satis tritum & commune omnium, cui auctoritatem *Augustini lib. de spiritu & an. c. 4. & 13.* (qui tamen non tam Augustini, quam Hugonis de S. Victore censetur) & *lib. 10. de Trin. c. 11. & lib. 11. c. 4. S. Bernhardi serm. 11. in Cant. Isidori 11. Etymol.* quæ Thomistis non potest non esse magni, addunt. Et præter hoc nullum satis firmum argumentum agnoscit *Arriaga disp. 3. de an. sect. 4.*

§. 6. *Poncius* tamen *disp. 11. de an. concl. 1. Franciscus B. Spei. disp. 3. dub. 1.* probant 2: Si anima ipsa concurrat immediatè ad intellectiones & volitiones, non indiget potentiis realiter distinctis; Atqui verum est prius, E. & posterius. Putat *Arriaga* hoc argumentum carere vi, unde *c. 1. sect. 1. subsect. 2.* negat consequentiam.

Et sanè absolutè verà non est. Posito enim quod anima agat immediatè, adhuc tamen potentiis realiter distinctis instructa esse posset, quæ, si non medium per quod, essent tamen adjumentum, cum quo ageret anima. Sicut ipse *Fr. Bonæ Spei pr. 1. Phys. tract. 2. disp. b.* statuit, ad producendam substantiam immediatè tam accidentia, quàm substantiã concurrere; unde sicut ibi secundum *Fr. B. S.* non valet: substantia ipsa concurrat immediatè, Ergò non habet accidentia realiter distincta, quæ concurrant; ita neque hic, Sanare hoc vulnus conatur *B. Slepoginus disp. Theor. 24 sect. 2. concl. 2. membr. 1.* unde argumentum sic informat: Formæ substantialis, quæ est immediatum & NB. adæquatum principium suorum actuum, nullæ sunt potentiæ ad tales actus ab ea à parte rei distinctæ; jam subsumit de anima & quod adæquatum sit principium probat: Cui respondent omnes formalitates effectus, id continet totam etiam virtutem effectus, adeoque adæquatum ejus principium est; sed animæ cum specie impressâ respondēt omnes formalitates intellectiōnis, cum specie expressâ volitionis. Ergò. Verùm nec sic *Arriaga* satisfactum, negat enim ille Prosyllogismi majorem, dat instantiam de calore respectu alterius, quem omninò continet, & tamen eget concursu causæ primæ, adeoque solùm inadæquatè ad illum concurrat; imò magis illud explicat in Deo, qui licet contineat omnes formalitates effectus creati, adhuc tamen plures eorum non potest naturaliter producere sine concursu causarum creatarum.

§. 7. Verùm hisce subtilitatibus intentus *Arriaga*, non attendit contra quos disputemus. Dixi absolutè veram non esse majorem Syllogismi, quem *Poncius* & *Fr. Bonæ Spei* adferunt; verùm, contra Thomistas, quos in primis impugnamus, optimè procedit. Ideò enim illi distinguunt realiter potentias ab animâ, quia putant, animam non posse immediatè concurrere ad actiones illas, quæ potentiis tribuuntur; Si igitur probatum fuerit, animam immediatè concurrere potissimum certè, cui inniuntur fundamentum, ruit. Probamus autem ita: Si anima non concurrat immediatè ad intellectiōnem & volitionem, aut sit illud propter perfectionem suam, aut propter imperfectionem;

nem;

nem; sed neutrum horum dici potest, Ergò nec prius. Nèc enim illud fieri potest propter perfectionem, quia esse immediatum actionum suarum principium ipsi Enti perfectissimo, nempe Deo convenit, neque etiam propter imperfectionem, quia potentiis tanquam accidentibus illud ipsi Thomistæ tribuunt, quæ sanè ipsâ animæ substantiâ imperfectiores sunt. Utitur & hoc argumento Batavus ille *Heereboord disp select. vol. 2. disp. 5.*

§. 8. Unde rectissimè argumentatur *Slevogtius l. c.* Quicquid ad nobilitatem attinet & perfectionem, potius nobiliori, ipsi nempe animæ substantiæ, quàm ignobiliori, accidenti nempe realiter distincto, tribuendum est; Atqui agere immediatè ad perfectionem attinet, quia ipsi Deo competit. Ergò. Alia argumenta, quæ pro immediata actione animæ adferri solent, sc. quod sicut passiva materiæ primæ potentia, ita quoq; activa formæ debeat esse ipsa ejus essentia, ad quod aliter *Thomam*, aliter *Murciam*, aliter *Ruvium* respondere video; item, quod aliàs anima propter peccata odio non esset digna, de quo latissimè differentem vide *Arriagam disp. 3. de an. sect. 1. subsect. 2. Comptonum, Oviedum* aliosque, jam mitto.

§. 9. Superest, ut ad argumenta, quæ opponi solent, respondeamus. Primùm autem jactant auctoritatem *Platonis*, cui illam sententiâ *Ficinus lib. 10. de Theol. Plat.* ascribit, *Stoicorum*, cui eam ex *Plutarcho lib. 4. de plac. Phil.* tribuit *Fournenc c. 11. de an. Aristotelis*, quem revera ita sensisse putat *Murcia lib. 2. de an. disp. 2. q. 1. S. Dionysii*, quem allegat ipse *Thomas p. 1. q. 77. S. Anselmi 1. de concord. predest. cum lib. arbit. c. ult.* imò nonnulli ipsius *S. Scripturæ* ex *Ps. 103. v. 1. & Luca 10. v. 27.* Verùm, *Platonem* quod attinet, parvi ille nobis fit; de *Stoicis* res dubia, cum ex allegato *Plutarchi* loco nihil probari possit; de *Aristotele* adhuc sub judice lis est, plures certè pro nobis textus sunt, quos apud *Cl. Zeisoldum c. 1. §. 277. vid. S. Dionysio & Anselmo* opponimus *S. Augustinum, S. Bernhardum, Isidorum*, ex *th. 5.* In *S. Scripturâ* autem nihil minus, quàm hæc quæstio deciditur; ad loca tamen allegata responsum vide à *Fr. de Oviedo c. th. 2. loco.* Auctoritate igitur nihil proficiunt.

§. 10. Multo minus rationibus, quas adferunt. *Thom. pr. 1. q. 77. art. 1.* sic procedit: Quæcunq; non sunt in eodem genere, ea se

non

non habent ut potentia & actus; at qui non intelligere & anima non  
sunt in eodem genere. Ergo se non habent ut potentia & actus.  
Resp. disting. maj. illa se non habent ut potentia, quæ producit &  
actus, qui producitur, sic nego majorem; ut potentia subjectiva,  
sive, si datur, objectiva, & actus entitativus, id est, ut res possibi-  
lis, & res actu existens, sic concedo majorem, & totum argumentum.  
Quod autem in eo sensu neganda sit major, i. e. quod principium  
operationis cum effectu non necessario sit in eodem genere, vel  
ad hominem patet. In sententiâ enim Thomistarum accidens  
est causa immediate producens substantiam, nec tamen acci-  
dens & substantia sunt in eodem genere. Et ne longius abeamus,  
anima secundum Thomistas est causa productiva, quamvis per  
emanationem suarum potentiarum, nec tamen cum illis est in  
eodem genere. Falsissimum igitur & illud est, quod habet ipse  
*Thomas p. 1. q. 79. art. 1. Tunc solum inquit, immediatum principium ope-*  
*rationis est ipsa essentia operantis, quando ipsa operatio est ejus esse.*  
Sicut in Deo. Falsissimum. Ex hoc enim sequitur, intellectum &  
actum intelligendi realiter non differre, quia intellectus ex con-  
cessione Thomistarum est immediatum intelligendi princi-  
pium, quod absurdum.

§. II. Ejusdem farinae est, quod idem *Thomas q. 77. art. 1. addit;*  
Si ipsa anima est immediatum actionum suarum principium,  
sequitur, quod ille, qui actu habet animam, actu semper intelli-  
gat. Absurdum autem est conl. E. & antecedens. Probat majore-  
rem, sicut enim, qui animam habet, actu vivit, quia anima pro-  
ximum vitæ est principium. Ita si & intelligendi esset proximum  
principium, animam habens, actu intelligeret. Sed facilis est ad  
hominem responsio, eadem enim ratione contra Thomistas ar-  
gumentor; Si intellectus est immediatum intelligendi princi-  
pium, sequitur, quod habens intellectum, semper intelligat,  
quod absurdum. Nego itaque majorem. Ad probationem dico,  
esse rationem diversitatis. Ad non actualiter vivere enim anima  
se habet, ut principium formale; ad non intelligere autem per mo-  
dum causæ efficientis; unde, quia vivere est effectus formalis,  
sequitur quod animam qui habet, actualiter semper vivat, quia  
id ab entitate formæ unitæ obtinet; sed non æquè, quod animam  
semper



semper habet, semper intelligit, quia ad illud plus, quam unitæ formæ entitas requiritur,

§. 12. Tertiò argumentantur: Quicquid ad diversas operationes est indifferens, illud aliquod determinativum requirit; atqui anima est indifferens ad diversas operationes, ergò indiget determinativo aliquo, E. indiget potètiis. Respondeo 1. indirectè. Eodem enim modo argueretur, non unū solùm intellectum, & unam voluntatem ponendam esse in homine, sed tot, quot sunt diversæ operationes, sicq; alius deberet esse intellectus ad apprehendendum, alius ad judicandum, unus ad assentiendum, alius ad dissentendum; una voluntas ad appetendum, alia ad fugiendum &c. quod est contra ipsos Thomistas. 2. directè, cum *Hartado disp. 4. de an. sect. 4.* concessã primã consequentiã negando secundam, quia indifferencia animi jam per species impressas & expressas tollitur; per speciem enim impressam anima ad intelligendum, per expressam, sc. per cognitionem intellectus, ad volendum determinatur, unde hic novæ potentiæ determinantes non requiruntur.

§. 13. Quartò, inductionem urgent *Suarez, Connimbricer ses. Murcia, Johannes à S. Thoma, Eustachius à S. Paulo*, aliique, fortasse eò firmiorem, quia toties repetita. Videmus, inquiunt alias omnes res agere mediis potentiis quibusdam, sic cœlum mediã luce, aliisque qualitatibus, elementa mediis primis qualitatibus &c. Ergo eodem modo & anima mediis potentiis ager. Retorqueo hoc argumentum in ipsos, à quibus prodiit; Videmus, aliarum omnium rerum qualitates & accidentia etiam separata operari, sic albedo à subjecto separata disgregat visum, sic calor à subjecto sejunctus calefacit, &c. Ergo eodem modo & potentiæ animæ separata agent, Ergo voluntas separata vult, intellectus sejunctus intelligit; quod constanter jam citati negant; quibus tamen propter transubstantiationem in S. Eucharistiã antecedens certissimum est. Respondeo igitur, inductionem illam non procedere, quia 1. illæ actiones sunt ad extra, hæ ad intra, unde ab illis ad hæc non V. C. 2. in illis exemplis experientia fortè testatur, quæ in hoc deficit. 3. sæpe illa in superioribus sunt unita, quæ in inferioribus sunt dispersa.

B

§. 14. Ob-

§. 14. **Objicies Quintò**: Si potentia sensitiva realiter differunt ab anima, sequitur, quod & spirituales, intellectus nempe & voluntas realiter ab illa differant; atqui verum est prius. Ergo. Consequentia *Hurtado c. l.* adeò est manifesta, ut eos, qui eam negant, id tantum ingenii ostentandi in defendendis difficillimis ergo facere putet. Antecedens probatur 1. quia pereunte organo pereunt, animam manente. 2. quia sunt materiales, anima verò spiritualis. Respondet *Franciscus Bone Spei c. l.* distinguendo antecedens; potentia sensitiva sumpta adæquatè, i. e. tam pro eo, quod dicunt à parte corporis, quam à parte animæ, distinguuntur realiter ab animam, sic concedit; sumpta præcisè pro eo, quod dicunt ex parte animæ sic negat. Statuit enim visum e. g. esse quid compositum ex unâ parte activa, quæ est anima, & altera passiva, quæ est organum. Et hinc quoque *Slevogtius concl. 1.* statuit potentias organicas sive materiales (intellige adæquatè sumptas) ab animam differre, quanquam non negabit, inadæquatè sumptas esse cum eâ idem. Et sic ad probationem facile respondetur, sicut enim 1. pereunte organo perit organica potentia adæquatè, ita & adæquatè ab illâ differt; & sicut pereunte org. inadæquatè (nempe ex parte animæ) non perit ita & inadæquatè ab animam nõ differt; & sicut 2. adæquatè est materialis, inadæquatè non, ita adæquatè ab animam differt, inadæquatè non item. Est hæc aliorum quoque responsio. Verum malo ab *Arriaga disp. 3. de an. sect. 3. subs. 3.* inter parum sibi fidentes recenserim, quam jam hanc controversiam meam, facere, nego igitur potius consequentiam majoris; quia non repugnat, potentias spirituales cum anima esse idem, materiales ab illâ differre.

§. 16. Unicum adhuc, quod afferre solent, (nam infinita prætermitto, interim quæ à *Suarez*, & *Toledo* afferuntur, à *Fr. de Oviedo*, quæ à *Zabar.* à *Cl. Zeisoldo l. c.* refutata vide) adjiciam: Nulla substantia intenditur & remittitur: intellectus intenditur & remittitur, E. non est substantia, & sic nec anima. Minor probatur, ex modo ejus operandi, perfectior enim est intellectus in adultis, quam in pueris, perfectior in prudentibus, quam in delirantibus. Resp. negando minorem. Ad probationem distinguo inter intellectum quoad actum primum & secundum. Quoad actum primum, intellectus

iam

tàm est perfectus in infans & pueris, quàm in sapientibus & adultis; quoad actum autem secundum, seu exercitium, largior illud magis relucere in adultis quàm pueris; ratio, quia in his non est tam bona dispositio organica, à qua in operando intellectus, dum corpori immerfus est, non parum dependet.

§. 17. Tantæ, igitur molis erat, Thomam condere sectam; expeditior sibi videtur *Sperlingius in Anthropol. c. 1.* & rem omnem sequenti argumento conficit: Substantia & accidens differunt realiter, atquæ anima est substantia, potentiæ verò accidentia. Ergo. Sed, quis non videt hic peti principium? Illud enim, quod in quæstione est, num scilicet potentiæ sint accidentia, pro medio termino assumitur.

### CONCLUSIO II.

Intellectus & voluntas inter se realiter non differunt.

§. 18. Est & hæc contra Thomistas, quam à priori distinximus propter *Bonaventuram*, qui, uti ex *Scoto* refert *B. Slevogtius disp. 24.* identitatem quidem inter animam & potentias concessit, negavit tamen inter ipsum intellectum & voluntatem. Sicut contra *Durandus* apud *Comptonium* statuit intellectum & voluntatem esse unam potentiam, distingui tamen ab animâ. Quamvis autem hæc ex priori jam fluat, quia, quæ uni tertio eadem sunt, inter se quoque eadem sunt, unde & hasce duas conclusiones in sequentibus conjungemus; eam tamen, repetito, quod Entia præter necessitatem non sint multiplicanda, ulterius probamus.

§. 19. Et quidem hunc in modum: Si voluntas & intellectus inter se realiter differunt, sequitur, quod voluntas feratur in incognitum; Absurdum autem est consequens. Ergo & antecedens. Minor clara est; voluntas enim fertur in objectum præferendo unum alteri, ergo cognoscere debet bonitatem utriusque, & ut ita loquar, præferibilitatem. Major probatur: Quicquid non concurrit effectivè ad cognitionem ejus rei, ad quam amandam se vult determinare, illud fertur in incognitum; Atquæ, si voluntas ab intellectu realiter differt, voluntas non concurrit &c. Ergo. Dicis, sufficere quod intellectus cognoscat & faciem voluntati præferat, licet ipsa voluntas nihil cognoscat, addis rationem, quia radicantur in eadem animâ, quam fortasse deprompsisti ex *Thomâ p. 1. q. 87. art. 4. ad primum*, ubi disputat, utrum intellectus intelligat actum voluntatis, & non putat absurdum, ut illud, quod

B 2

est in

est in voluntate, sit etiam in intellectu, & quod est intellectus, cœcat etiam sub voluntate, ex eo, quia in eadem substantiâ animæ radicantur. Contrà, cognitio intellectus realiter à voluntate distincti, tam per accidens ad voluntatem se habet, ac si intellectus non cognosceret; nec intellectus illuminatio, & fax, quam præfert voluntati quicquam proderit, nisi ipsa voluntas bonitatem vel malitiam objecti representati cognoscat; sicut cœcus, quamvis à puero ducatur, tamen tam errabit, ac si nullum habeat ducem, nisi aliqua notitia viæ derivetur à puero in cœcum, ut ipse aliquo modo deprehendat, qua sit eundem Ratio addita nil confirmat; illud enim subjectum commune in quo radicantur aut juvat voluntatem, ut se determinet aut non. Si juvat, activè concurrat ad volitionem, quod contra te contendo; si non, illud certè subjectum commune potentiis distinctis nil confert, ut una dirigatur cognitione quam non habet, & se determinet ad objectum, quod non cognoscit. Utitur hoc argumento *Pl. Rev. Scherznerus in brev. Esch. c. 1.* & latius diducit *Arriaga disp. 3. de an. sect. 1. sub. 3.*

§. 20. Sed objiciunt *Connimbricenses in 3. de animâ c. 13. q. 3.* & cum illis alii: Si voluntas & intellectus idem inter se sunt, sequitur, quod per voluntatem intelligam & per intellectum velim; Sed absurdum est consequens. E. Respondeo 1. indirectè. Si intellectus & voluntas, justitia & misericordia, in Deo idem sunt, sequitur, quod Deus per intellectum amet, per voluntatem intelligat, per justiciam misereatur, per misericordiam puniat; consequens est falsum, E. & prius, quod pro vero omnes agnoscunt. 2. directè distinguendo inter sensum formalem & identicum. In sensu identico nego minorem, rectè enim ibi dico, voluntas intelligit, quia à parte rei cum intellectu idem est; in sensu autè formali concedo minorem, sic anima cum actu amoris conjuncta dicitur voluntas, & sic non dicitur intelligere, cum actu intelligendi conjuncta dicitur intellectus, & sic non dicitur velle. Sed tum nego consequentiam. Sequitur inde distinctio formalis, non autem realis. Alia, quæ adferri solent, argumenta mitto, cum nullius sint momenti.

§. 21. *Sperlingium* tantum adhuc videamus, qui, ut antea, breviter negotium expedit; argumentatur: Quæcunq; facultates diversos habent actus & diversa objecta, illæ differunt realiter; Atqui intellectus & voluntas habent diversos actus & diversa objecta, Ergo differunt realiter. Utitur & hoc argumèto *Murcia s. per librum 3. de animâ disp. 3. q. 4. imò*

q. 4. imò ipse *Thom. pr. 1. q. 54. art. 3.* diversitatem actuum putat argue-  
 re diversitatem potentiarum. Minorem *Sperlingius* probat, quia actus  
 intellectus est intelligere, voluntatis velle; objectum intellectus est ve-  
 rum, voluntatis bonum. Excipienti, quod sæpe idem illud Ens, quod in-  
 tellectus intelligit, voluntas etiam velit, & sic unum utriusque faculta-  
 tatis sit objectum, Respondet, distinguendo inter objectum materiali-  
 ter & formaliter consideratum; quamvis enim materialiter non ha-  
 beant diversa objecta habere tamen dicit formaliter. Verum, non mi-  
 nus expedita est responsio, quam fuit objectio. Nego majorem. Mille  
 do instantias. Intellectus & voluntas divina habent diversa objecta,  
 nec tamen differunt realiter. Ipsæ potentiaæ spirituales, secundum  
 Thomam, sunt multi actus primi & à parte rei distincti, ab unâ tamen  
 animâ proficiscuntur; simplex apprehensio & iudicium, & discursus  
 sunt diversi actus, ab eodem tamen fiunt intellectu; sol per unam &  
 eandem virtutem inducit aliam atque aliam formam secundum aliam  
 atque aliam dispositionem principii susceptivi Neque igitur diversitas  
 objecti, neq; diversitas actuum potentiarum temper arguit diversitatē.

### CONCLUSIO III.

Intellectus & voluntas neque inter se, neque ab animâ diffe-  
 runt formaliter, sive ex naturâ rei.

§ 22 Est hæc contra Scotum, qui nec, ut th. 4. patuit, realiter nec ra-  
 tione hæc distinguit sed medio aliquo modo nempe formaliter, seu ex  
 naturâ rei, si ejus discipuli, inter hos *Poncius disp. Met. 4. s. et. 2.* rectè  
 ejus mentem sunt assecuti, quod jam non disputo, sed præsuppono. No-  
 tum aliàs est, quod *Mendoza disp. Met. 6. s. et. 3. § 61.* mitius Scotum in-  
 terpretetur, eumq; ab hujus opinionis invidiâ vindicare conetur; di-  
 cit enim Scotum per distinctionem suam formalem, nihil aliud, quam  
 virtuale intelligere voluisse, quæ nihil aliud est, quam distinctio  
 rationis ratiocinatæ, seu quando in re est sufficiens fundamen-  
 tum distinctionis; sicut hic, quia anima ad diversos actus, intelligendi  
 & volendi habet respectum, fundamentum præbuit, eam jam in respec-  
 tu ad intelligendum concipiendi & intellectum, jam in respectu ad  
 volendum & voluntatem vocandi. Verum quicquid de *Hurtado* sit,  
 cui *Stevogius sect. 2. concl. 3. membr. 2.* contrarium ex ipso Scoto, & qui-  
 dem, *1. 2. sent. dist. 8. q. un. lib. 1. sent. dist. 8. q. 3. q. od lib. 5. art. 2. parte, de-*  
 m. nstravit, nos hanc ejus sententiam fuisse præsupponimus, & hanc  
 saltem, si non ipsum Scotum impugnamus.

§. 23. Argumentamur: Quæcunque inter se distinguuntur ex natura rei ante operationem intellectus, illa realiter differunt; Atqui intellectus & voluntas inter se & ab animâ realiter non differunt, E. ex natura rei ante mentis operationem non distinguuntur. Minorem Scotistæ largiuntur. Major clara est, quia cui competit definitio, eidem & definitum competat, necesse est. Eodem argumento in simili contra eos utitur *Arriaga disp. Log. 5. se. 1. sub. 1.* & videatur *Hurtadius l. c.* Argumenta, quæ hic adferuntur à Scotistis aut probant distinctionem realem, & sic huc non pertinent, aut tantum distinctionem rationis, seu formalem per mentis operationem; unde illa non appono.

#### CONCLUSIO IV.

Neq; tamen etiam solo nomine differunt.

§. 24. Est hæc contra Nominales, aut potius contra sententiam, quæ communiter Nominalibus tribui solet, th. 3. à nobis expositam. Nam, sicut de Scoto ex dictis th. 22. ita multò majus de Nominalibus est dubium, num eam, à quâ nomen acceperunt, sententiam foverint. Ego sanè facilè assentiar *B. Stevoglio*, Nominales, quando nonnulla nec re nec ratione distinguunt, id solùm innuere, quod per distinctionem rationis non fiat distinctio in objecto & per pluralitatem conceptuum formalium non multiplicentur objectivi, id est, uno verbo, illos solùm præcisiones objectivas, de quibus fortasse concl. sequ. aliquid, negasse. Neque enim tanti viri præsumuntur fovisse errorem adeò, ut loquitur noster *Stevogt*, ab omni præsidio infirmum, ut pene, qui contradicit, refutârit.

§. 25. Sententiam tamen hanc ita impugno: Si intellectus & voluntas solo nomine differunt, sequitur, quod in sensu formali rectè dicam: *Intellectus est voluntas, voluntas est intellectus, intellectus vult, voluntas intelligit.* Absurdum autè est cons. Ergo & anteced. Major clara est, si enim solo nomine differrent formaliter reciprocari possent, sicut dico: *ensis formaliter est gladius formaliter.* Minor probatur, quamvis enim illæ propositiones in sensu materiali sint veræ, habent enim hunc sensum: *Illæ res, quæ est intellectus est etiam voluntas; non tamen in sensu formali; habent enim tunc sensum hunc: Intellectus formaliter seu quatenus intellectus est voluntas; voluntas formaliter, seu quatenus voluntas, seu anima quatenus tantùm ad volendum habet respectum, est intellectus; intellectus quatenus talis, vult; voluntas, quatenus talis intelligit: quæ & falsa & ridicula sunt.* Vide de his plura apud *B. Stevogt, disp. th. 1. § 24.*

## CONCLUSIO. V.

Potentia animæ inter se formaliter & ab animâ inadæ-  
quatè distingvuntur.

§. 26. Ne hæc conclusio tertiæ contradicere videatur, statim notò  
quòd formaliter differre dupliciter sumi vel in sensu Scotistico, quem ex-  
posuimus & refutavimus concl. 3. vel in sensu Thomistico & vulgari,  
& tunc nihil est aliud, quàm ratione ratiocinata differre, quando  
nempe intellectus noster intellectui aliam tribuit rationē formalem,  
aliam voluntati, quamvis à parte rei intellectus & voluntas idem sint;  
eadem ratione, sicut rationalitati aliam tribuit formalitatem, quàm  
animalitati, quamvis hæc in Petro idem sint. Et in hoc sensu quòd for-  
maliter differre jam sumitur.

§. 27. Ut tamen hæc clarius pateant, adhuc notandum est, aliter il-  
la à Thomistis, aliter à Nominalibus & recentioribus nonnullis ex-  
plicari. Thomistæ (quamvis de mente Thomæ adhuc sub iudice lis sit)  
quos *Compton. disp. Log. 24.* acerrimè propugnat, statuunt, distinctio-  
nem formalem non tantùm in intellectu consistere, ut ille unam rem  
inadæquatè concipiat, sed & in rebus ipsis; in hoc tamen à Scotistis dif-  
ferentes, quod illi in rebus ipsis actualem, hi virtuales tantùm ante  
mentis operationem concedant. Ita igitur philosophantur: intellectu  
aliquam rem à parte rei simplicissimam, quando in eâ reperit diversas  
operationes & connotata, intentionaliter dividere, ita ut ex re, quæ  
antea erat una, jam facti sint duo conceptus objectivi, quorum unus  
intellectui repræsentetur, altero per illum actum non repræsentato.  
v. g. Cum intellectus animam intuetur, deprehendit, eam non tantùm  
ad intelligendum, sed etiam ad volendum esse ordinatam, hinc jam  
animam in respectu ad intelligendum distinguit ab animâ in respectu  
ad volendum; ut hinc duo conceptus objectivi oriantur, quorum u-  
nus vocetur intellectus, alter voluntas; idque non physicè, sed inten-  
tionaliter; neque positivè, ita ut intellectus aliquid in ipsa anima po-  
nat, sive negativè, quasi concipiat intellectum & voluntatem non esse  
unita, hoc enim esset falsum, cum tamen abstrahentium non sit men-  
dacium, sed præcisivè, ut aliquid tollat, i. e. ut voluntatem concipiat,  
non concepto intellectu, & sic præcisivè principium volendi à princi-  
pio intelligendi tollat. *Vide Comptorium c. 1.* Et hoc vocant objective  
præscindere.

§. 28. Aliter de distinctione formali sentiunt Nominales, quos *Hurtadus Arriag.* 1, *Franciscus B. Spei* aliique sequuntur; qui eam objecto ipsi planè extrinsecam esse, & tantùm in intellectu, (nullatenus, neque physicè neque intentionaliter in re ipsà) consistere putant. Concedunt quod distinctio formalis, seu, quod id m est, rationis ratiocinatæ, fundamentum aliquod in re habeat, quod ut plurimùm sunt diversa connotata, quæ objectum respiciunt, unde intellectus eandem rem jam in respectu ad hoc, jam ad illud connotatum concipit, conceptu scilicet formali inadæquato; sed negant, hinc ullam apparere diversitatem in objecto. e. g. eandem animam indivisibiliter manentem cognosco per duos actus & ad diversos effectus refero, in ordine ad quos diversas capit denominationes: ita tamen ut eodem actu, quo intellectum concipio, non solùm principium, intelligendi animo obverteatur, sed tota anima, intellectus & voluntas, verùm in ordine ad actum intelligendæ concepta; & eodem actu, quo voluntatem concipio, non solùm principium volendi, sed & intellectus concipiatur; verùm in ordine ad actum volendi. Unde in ipsa animâ nulla est alietas, sed tantùm in ratione, quam de ejus potentiis formamus. Vide *Arriagam* & imprimis *Slevogtium disp.* 24. ubi horum sententiam & optimè explicat, & sequitur.

§. 29. Ita igitur diversimodè hæc formalis distinctio explicari solet. Quæ sanè res peculiari disputationi & tubasto Philosopho reservanda, unde meum hoc judicium modestè suspendo. Et perinde mihi hætenus est, quocunque modo explicetur. Si cum Thomistis eò firmiori stat talo conclusio mea; Sin verò cum Nominalibus, fortasse adhuc ictus aliquis (nam de cætero conclusio nostra ex præcedentibus fluit, unde nova argumenta non addo) excipiendus, & declinandus.

§. 30. Dices enim, si concepto intellectu, voluntatem quoque concipio, sequitur, quod non major inter illa sit distinctio, quàm illa quam Nominales adferunt, thesi 4. à nobis refutata. Unde & *Carleton disp.* 24. *sect.* 1. ait, illos, qui præcisiones objectivas negant, talem excogitasse dicendi modum, qui licet voce distinctionem præ se ferat, re tamen vera nihil minus, quàm distinctio sit. Sed facilis est responsio; Limito; si concepto intellectu, voluntatem quoque sc. formaliter concipio, sic concessa majori, nego minorem. Quamvis enim cognitio intellectus sit immediata cognitio voluntatis tamen ista cognitio formaliter voluntatem attingere non dicitur; cognosco enim tunc intellectum & voluntatem in ordine ad intellectionem, uti antea vidimus, unde isto actu volitionem, quam voluntas formaliter respicit, non attendo. Explico me ex *Slevogtio* & iisdem quibus ille, verbis finio. *Quia cognitio intellectus totam animeitatem non penetrat, cognoscendo omnes ejus actiones, sed tantum cognoscit intellectionem, à totâ entitate fluentem, ideo ea cognitio dicitur representare intellectum formaliter, non voluntatem, quia non videt volitionem in ordine ad quam formatur conceptus voluntatis. Proinde etiam non adæquatur objecto, sed inadæquatè illud representat divisum (non in se & in recto) ratione connotatorum ex quorum ignoratione oportet ignorari attributa, quæ denominantur ab illis, ut ut immediatè aliàs cognoscantur. Hætenus ille.*

Tantùm.

DEO Trinuni gloria,

*Coll. diss. A. 74, misc. 21*